ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN (MELKER REFORM ?)
2. Viertel 15. Jh. (1434) Seite 211v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37150
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Ex sermone sancti Bernhardi Clareuallensis
In aduentu domini

Iusticia virtus est · quod suum est · utrique tribuens · Tribue ergo tribus que sua sunt · Redde superiori · Redde inferiori · redde equali · quodcumque debes · et digne celebras aduentum xpi · parans ei in iusticia sedem suam ¶ Redde nique prelato obiam et reuerenciam · quarum altera cordis · altera corporis est · ¶ Neque enim sufficit exterius obtemperare maioribus nris · nisi ex intimo cordis affectu · sublimiter senciamus de eis · Quod et tam si manifeste indigna innotuerit prelati alicuius vita · ut nichil omnino dissimulacionis nichil excusacionis admittat · preter eum tamen · a quo est omnis ptas · ipsum quemodo talem nouimus · excelsum reputare debemus · non pntibus persone meritis · sed ordinacioni diuine et dignitati ipsius officij deferentes · Sic et fratribus nris · inter quos viuimus · ipso iure fraternitatis · et societatis humane · consilij sumus · et auxilij debitores · Hec enim volumus · ut et ipsi nobis impendant consilium · quo erudiatur ignorancia nra · auxilium · quo iuuetur infirmitas nra ¶ Sed forte erit inter vos · qui tacitus respondeat dicens ¶ Quod ergo consilium dabo fratri · cum nec unum verbum loqui fas est absque licencia · Quod ei auxilium impendere est · cum nec minimum aliquid facere liceat · absque obia · Ad quod ego · Non deerit certe quod facias · tamen karitas frna non desit · Nullum melius consilium ego arbitror · quam si exemplo tuo · fratrem tuum doceas que oporteat fieri · prouocans ad